

DISPUTATIO POLITICA

De

MONARCHÆ SEU  
REGIS CONSTITUTIONE  
& INAUGURATIONE.

Divina gratia ita benedicente,

Ut & Ampliſſimâ Facultate Philoſ. in Regia univerſitate  
Aboenſi cenſente & adprobante;

SUB PRÆSIDIO

VIRI Excellentiffimi

DN. M. A X E L I I Kempes / Polit. &  
Hiſt. Prof. Ordin. laudatiſſimi; Promotoris, Præ-  
ceptoris, Nutritij ac Hoſpitis ſui quovis ani-  
mi obſequio ætatèm devenerandi,

*Pro gradu ſeu honoribus in Philoſophia ſummis, privilegijsq; obtinen-  
dis publicæ ventilationi ſubmiſſa*

Ab

ANDREA J. STRANDENIO wiburg.  
R. M. Conſiſt. q; Wiburg. alumno,

*In Auditorio maximo horis ab 8. antemeridianis  
An. 1667. die 2. Octobr. Novembr.*

---

A B O Æ,

Excusa à P E T R O HANSONIO Acad. Typ.

*Reverendo & Excellentiss. VIRO*  
DN. M. PETRO BROMMIO, Dioceseos Wi-  
burg. Episcopo longè dignissimo, Consistorijq;  
ibidem Præsuli amplissimo; Mecœnati optimo,  
officioso animi affectu æternùm devenerando.

*Plurimum Reverendù & Praclariss. VIRIS*  
DN. M. HENRICO CARSTENIO, Borgo-  
ensium hæctenus Pastori laudatiss. jam v. Wiburg.  
designato, Consist. q; Adfessori gravissimo; Patrono ma-  
gno, quovis observantiæ cultu jugiter prosequendo.

DNN. MM. IN REG. GYMN. WIBURG. S. S. THEOL. ET  
Phil. LECTORIBUS Ingeniosissimis, CONSISTORIALIBUSq;  
longè dexterrimis, Promotoribus ut propensissimis, ita  
jugi observantia suspiciendis.

*Reverendù, Clariss. & Doctissimù VIRIS*  
DN. ZACHARIÆ STACHÆO  
Præposito & Pastori in Pernâ at-  
tentissimo  
DN. M. ANDRÆ NYCOPENSI  
Pastori in Helsingfors vigilantiss.  
DN. M. NICOLAO LINDORMI  
Pastori in Pyttis & Elimâ fideliss.

Fautoribus &  
Evergetis quo-  
vis honoris ge-  
nere colendis.

*Disputationem hanc Gradualement ut gratum  
& officiosum meum explicem animum  
inscribo & dico*

ANDR. STRAND. A. & R.

## PRÆFATIO,



Egregiâ inter Imperium Monarchicum & corpus humanum collatione institutâ *Antonius de Guevara in herol. princ. l. 1. c. 36. & 37.* illud ut cuncti in Republ. viventes ampectantur, in hæc adhortatoria erumpit verba: *cum multa & audiverim, & legerim, & seculo meo sim expertus, quotquot venturis erunt seculis, moneo & obtestor: si frui suis cupiunt opibus: si vitam agere securam expectant: si immunes esse volunt à tyrannide & pacificè vivere in Republ. exoptant: ne patiantur, ut plures quam unus Rex Regno & Principatui alicui imperent. Est enim, inquit porro, regula generalis: si multi in Republ. imperent, & huic & illis certum tandem imminere interitum.* Sic *Tacitus l. 1. Annal. unum est, inquit, Reipubl. corpus, atq; unius animo regendum.* Huc facit & illud *Poëtæ:*

*Ὀὐκ ἔγχαδὴ πολυκοιρανίη, εἶς κοίρανος ἔστω.*

*Siquidem Regnum non capit duos, ajente Seneca.* Monarchicam quippe Reipubl. formam ceu nobilissimam & optimam præ cæteris commendabilem faciunt sequentia rationum momenta, petita 1. ab ipsa natura, cum naturante; quâ de re ita canit *Orpheus:*

*Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit. Tum naturata: Natura commenta est Regem, ait Seneca.* Idq; tam in animatis quam inanimatis. *Regimen apum est Monarchicum, nec unquam plures uno patiuntur.* Sic mundi oculus sol unus est. *Luccen. quo argumento Alexander M. in responsione ad Darij Legatos usus legitur, Curt. l. 4. c. 11. ubi, nec mundum, inquit, duobus solibus regi potest.* Una anima varijs præest actionibus. Unum ca-



put inter corporis partes eminet. 2. à *praxi in populo I-*  
*sraelitico ex præscripto Dei usitata.* Deus enim ipse unum  
 ducem, unum principem seu regem populo suo præ-  
 poni iussit & curavit; ut *Mosis*, Exod. 3. *Iosva*, Num.  
 27. *Saulis*, 1. Sam. 9. & *Davidis* 1. Sam. 16. exempla o-  
 flendunt. 3. ab *œconomia*, quæ Reipubl. imago & par-  
 va Respubl. est & vocitatur; ibi etenim unum caput  
 sc. paterfamilias familiæ solus præest, & *indulgentia*  
*paterna regie pietati haud absimilis excellit.* *Patric.* l. 1. de  
*Republ. tit. 3.* 4. à *duratione, firmitate & commoditatibus.*  
 Monarchias cæteris rebuspubl. fuisse durabiliores, te-  
 stantur annales. *Non aliud discordantis patriæ remedium est*  
*quam ut ab uno regatur*, ait Tacit. 1. annal. Faciliior etiam  
 & commodior est administratio Monarchiæ, major  
 firmitas & gratia, ut nervosè differit *Nobil. Dn. Gyl-*  
*lenst. Disp. Pol. 11: ubi vid.* Proinde cum tot tantisq;  
 gaudeat felicitatibus & commodis Monarchia, non  
 abs re eam Sveo-Gothis adeò placuisse constat, ut le-  
 ge sancirent non plures uno ad imperij fastigium ad-  
 mittendos esse, quod patet ex c. 2. *R. S. L. L. Conf.*  
*Dn. Gyllenst. Deser. Sv. l. 5. c. 1.* Cæterum Imperio Mo-  
 narchico cum non nisi certis præficiatur modis Mo-  
 narchia, ipsius *constitutionis & inaugurationis* modum,  
 præmissâ consideratione Regem tum quoad *nationem*,  
 tum *sexum* concernente, brevibus adumbratum thesi-  
 bus, ad ampliss. Facultatis Philos. mandatum publicæ  
 disquisitioni submittere constitui; cui materiæ cum  
 Regia sublimitas dignitatem conciliet, præsentî ne-  
 gotio eam minimè indignam esse, ut mihi persuadeo;  
 ita & benignum Lectorem æquo iudicij sui calculo ad-  
 probatum ire aveo.

Sit itaq;

Altis-

**M**AGNUM cum sit potestatis Regiæ nomen, magna Majestatis eminentia, ut nemo, nisi divini humaniq; ordinis hostis, inficias eat, teste *Loccenio*; æquum esse duco, ut personam ad solium Regium evehendam, ratione & nationis, indigenane sc. vel alienigena; & sexus, utrum mas vel femina esse debeat, paucis ante Constitutionis & inaugur. tractationem perlustremus.

II. Prius quod attinet; *Machiavellus lib. 1. Disp. c. 3.* pro alienigenis strenuè pugnat contendens Rempubl. in statum augustum devenire non posse, si suis tantum contenta civibus extraneos nullos recipiat. Verum quid hoc? Ipse Jehova de regno ad exteros non transferendo legem tulit Israelitis, *Deut. 17: 15.* seq. Deinde, ubi naturalis illa inter Principes extraneos & subditos *συμμάχου* & propensio? subditi enim Principis exteri jugum molestissimè subeunt, & quis adeò patiens est, ut illius reipubl. in qua natus est & educatus, curam alienigenæ commissam ferat; quod ingenuè fatentur *Schyta* coram *Alexandro M.* apud *Curt. l. 7.* dicentes *ut fortior sis quam quisquam; alienum tamen Dominium nemo pati vult. Suis quisq; parer placidius, etiamsi is præest, qui magis timeri potest,* ait *Alex. M. Curt. l. 6.* sic Græcos prætulisse refert *Livius*, rigidum Persei indigenæ imperium miti Eumenis imperio. conf. *vitam Eumenis in Nepote.* Porro ignoti sunt ipsi civium mores, cum tamen caput Reipubl. sit, perhibente *Cicerone lib. 2. de Orat.* perspectos habere eosdem. Deniq; indigenam habere Regem ut patriæ est honori; ita alienæ potestati subjectum esse, & neminem imperio dignum do-

mi invenire, probrosum & grave, ut experientia loquitur & historia patria proh! testatur. Verum enim est quod *Lipsius* ait: ut in quam domum *vespillones* veniunt, signum est funeris; sic *Reipubl. labentis*, ad quam *fulcendam* adhibentur peregrini.

III. Ratione Sexus personam in Regem constitutendam quod concernit, distinguendum monent *Politici* inter Regnum *Electivum* & *Hæreditarium*. In Regno *Electivo* non faciliè imperij fasces mulieri committendos esse statuunt. In *Hæreditario* a. foeminam ad regni gubernacula extraordinariè admitti posse asserunt. Idq; vel propter (α) *leges Regni fundamentales*, si videl. *γυναικονορτία* iisdem non est prohibita. (β) *necessitatem*, si casus lese offerat, ut nullum aliud regiae stirpis membrum restet in ejusmodi regnis, ubi aut cum muliere tota *Respubl.* est simul profliganda, aut hoc remedio curanda. (γ) *dignitatem*, si foemina licet non sint sexu masculi, animo tamen & affectibus sint masculæ masculisq; virtutibus instructæ; quasq; ut eleganter loquitur *Seneca*, *natura solertes, industria literatas, educatio pias, experientia sapientes effecerit*. *Virtus* quippe, inquit idem, *nemini est præclusa, omnes admittit, nec census nec sexum respicit*. Animus enim sæpè facit, ut mulier habeatur pro viro ob animum virilem & vir pro muliere ob animum muliebrem. *Dithmars. Syst. Pol. l. 3. exc. 1. Sect. 4.* ut ex collatione facta inter *Semiramidem* & *Ninyam*, *Iustin. l. 1. c. 2.* & inter *Artemisiam* & *Xerxem*, *Iust. l. 2. c. 12.* patescit, & insuper *Exempla Debora, Amazonum, Elisabethæ Angliæ Regina, Isabella Hispan. Christina Augusta* &c. illustrent.

IV. Hisce ita prælibatis, modos ad imperium perveniendi investigemus. Horum processus fit vel *legitimè*



*gitimè vel illegitimè, Illegitimè* censetur tunc fieri, quando quis nullo vel electionis vel successione aliove honesto titulo; sed vel vi & fraude vel largitionibus alijve illicitis medijs imperium occupat. Ejusmodi S. scriptura venatores vocat atq; gigantes. Exemplo sunt *Abimelech, Absolon, Sambri, Turca, Lescus Polonus &c.*

V. *Legitimus* regnum capessendi *modus* fit *ordinariè* vel *Extraordinariè*. *Extraord.* 1. qn. Deus immediate certæ alicui personæ officium Magistratus committit, quomodo duo Reges in V. T. constituti leguntur, *Saul & David*. 2. qn. jure belli regnum seu provinciæ in alicujus ditionem cedunt, ubi justa belli causa præsupponenda est. Si enim injustum est bellum, tum regnum, non bello sed latrocinio acquiritur, *Dithm. supracit. loc.* Sic *Finlandia, Carelia, Livonia, Ingria &c.* Sveo-Gothico imperio adjectæ sunt. *Quodcumq; enim captum est ab hostibus, dominio victoris subjicitur*, inquit *Justinian. Imp.* 3. quando titulo donationis sive testamenti & jure dotis, fœdere ac pacto alicui imperium obvenit. Exempla prostant apud Historicos. Huc referatur Electio per sortes, quomodo Alexandri M. successores diviso inter se imperio sorte Reges facti. Extraordinario etiam modo *Darius*, scil. per hinnitum equi Monarcha factus est. *Iust. l. 1. c. 10.*

VI. Ordinaria Regis constitutio duplici expeditur modo: *Electiõne & Hereditariâ successiõne*. Electio est vel *voti liberi*: cum citra respectum nationis & generis in Regem eligitur, quicumq; idoneus est ad Magistratum gerendum; qua libertate Romani usi sunt, & in Regno Poloniæ quondam liberè quæcumq; persona alienigena eligebatur, vel potius indigenæ præfereba-

tur, ad præcavendam inter concives æmulationem, teste *Schonb. l. 1. c. 2.* vel *voti restricti*, aut ad certam nationem aut ad certam familiam: sic judæi olim non nisi indigenam Regem eligere ex mandato divino tenebantur, *Deut. 17. 15.* sic Sveo-Gothi vel ex regiâ stirpe oriundum vel saltem indigenam in solium regium evehere obstringuntur secundum leges patrias *R. B. L. L. c. 3. §. 1.* Proinde, cum in hoc statutum majores inconsideratè impegerint, Albertum Mechelburg. cæterosq; Exoticos Reges eligentes, non mirum quod se patriamq; tantis calamitatibus involverint; cujus miseræ conditionis testis luculentissima est historia patria. Priscis enim temporibus Sveo-Gothos in Rege constituendo Electioni potissimum favisse patet ex loc. cit. leg. Suec. verum mos ille antiquus unanimi ordinum Regni consensu abrogatus est Oero-brœ primum A. C. 1540, & quadriennio post Arosiæ successio Regia hæreditaria in Gustaviana familiâ introducta & confirmata fuit, prout ex unione hæreditaria liquet.

VII. Successio est, qua Monarcha jure hæreditario prædecessori suo succedit. Hunc ad regni culmen perveniendi modum Sueo-Gothos à Regis Gust. I. temporibus, (nec non antea aliquando) servasse & confirmasse præter modo dictam unionem hæred. patet ex decretis, Norcopensi sc. de anno 1604. & Holmensi 1627, quæ in successione observanda veniunt. De cætero Anno 1650 concordi ordinum R. suffragio jus in scepra Sveo-Gothica succedendi devolutum est in Regem gloriosiss. memoriæ *Carolus Gustavum*, ejusq; hæredes masculos.



VIII. Et quamvis defuncto Antecessore successio ad proximum hæredem ipso jure devolvatur; majoris tamen benevolentia & stabiliendi favoris causa, antequam scepra & gubernationem suscipiat, adprobatio & confirmatio ordinum præcedere solet. Non quidem necessario requiritur consensus subditorum expressus, sed sufficit tacitus, vel ut *Dd.* loquuntur, præsumptus, quâ Regni gubernacula ad certam familiam esse delata significatur. *Dihmarsus.* Exempla patria ostendunt, R. *Erici XIV. Gust. II. Christina.* Si v. minorennis fuerit *successor*, Tutores constituendi sunt ex præscripto *Reg. Form. & decret. Comit. Holm. 1633*, quinque supremi Regni senatores & officiales, utpote *Drotzetus, Marschus, Ammiratus, Cancellarius & Thesaurarius.* Qui ut *Reginæ Christinæ* nomine Regni Administrationem integris 12 annis immortaliter cum laude & summo Regni emolumento sustinuerunt; ita eosdem summos Regni Proceres hac tempestate hoc munus obire ad moderni nostri *Clementiss. Regis* Regniq; commodum & utilitatem, quis est qui non percipiet grataq; mente æternum concelebrabit? Anno ætatis pupilli 18 fasces imperij novo Regi committi solent & Tutela cessare. Hoc ætatis anno R. *Magnus Erici* Regni administrationem suscepit. Eadem ætate Regi *Gustavo M.* ejusq; filia *Christinæ* Regni habentia concredita sunt.

IX. Rege ita designato, instituitur *Inauguratio* seu *Coronatio*, quæ est externus quidam actus & solennis constitutionis declaratio; qua prævio juramento certa insignia Regi traduntur ad authoritatem ipsi stabiliendam & personam ejus omnibus & singulis notam faciendam. Inde tamen non absolute necessaria est,

eum *R. Carolum IX. Gustavum M. & Christinam* ante solennem inaugurationem imperio laudabiliter præfuisse ex annalibus patrijs constat. *Non enim ideo Rex est, quia coronatur, sed ideo coronatur, quia Rex est.*

X. Ipse inaugurationis actus certas involvit solennitates, quæ sunt vel *primaria* vel *secundaria*. *Secundarie* dicuntur processiones variæ & acclamationes, publica gaudia, donativa & congiaria, solennes epulæ seu convivia, & quæ his similia. *Primaria* experiuntur *juramenti præstatione & proclamatione publica seu insignium traditione*. *Iuramento* ante susceptam gubernationem subditis se adstringere tenetur Rex juxta leges patrias c. 4. *R. B. L. L.* ubi & ipsa formula jurisjurandi expressa est. *Quidam* Politicorum, ut *Bodinus & Arniseus* ejusmodi juramentum à Rege præstitum Majestatem ejus offuscare & imminuere contendunt; verùm nulla fulti ratione, cum juramentum legitimè adhibitum in & per se sit res licita & honesta; insuper juri divino & humano consentaneum. Deus ipse & salvator sanctiq; homines juramenti se alligasse multis in locis scripturæ leguntur. Itaq; *qui cogitat servare, non detrebet jurare*. Et *Tyrannorum est alios obligare velle, seipfos v. in nullo obligari*.

XI. *Insignia*, in solenni hoc actu novo Regi, post unctionem ab Archi-Episcopo factam, more olim in populo Israelitico usitato, tradi solita, in hoc Regno Sveo Gothico sunt sex: 1. *Chlamys* seu toga sumptuosissima, pellibus exornata pretiosissimis auroq; fulgens; qua Rex circumdatur & imperij Majestas significatur. 2. *Corona Sphærica*, auro gemmisq; coruscans capiti aptatur signum itidem Regiæ sublimitatis, regniq; indivisionis. 3. *Gladius*, jus & summam potestatem probos &

& innocuos defendendi; malos v. & iniquos coercendi designans. 4. *Sceptrum*, signum administrationis regni. 5. *Pomum* seu globus cum cruce eidem imposita, potentiam terra mariq; late patentem, omniaq; ad Christi crucifixi honorem referenda esse connotans. 6. *Clavis ararij*, publicorum bonorum potestatem repræsentans. Quibus collatis unus præconum excelsâ clamat voce: *Nu är Svea och Göttha Konung krönt.* Totusq; cæsus alta voce respondet: *vivat & floreat Rex in perpetuum.* Quondam clamasse ferunt: *Swå gammult som gover.* Videtis *Dn. Gyllenst. Discr. Sveo. l. 5. c. 6.*

XII. Antiquitus receptum erat, ut Rex peracta Coronationis festiuitate Regnum suum circuiret, quod in leg. Svec. B. B. L. L. c. 6. *Rijda Reichs gatu sina* vocatur, ubi & causæ hujus circuitiõnis recensentur. Hanc circuitiõnem piæ recordationis R. *Carolus IX.* coronatione sua An. 1607 peracta postremus obivit. Tantum de præsen i materia.

*Floreat imperium Sveonum, stet firma corona,  
Subdita quo vigeant curia, templa, domus.*

---

*Eruditionis & Virtutis laude conspicuo* **JUVENI**

**DN. ANDREÆ STRANDENIO**, pro summis in studio Philosoph. honoribus publicè disputanti, Amico suo, per dilecto; felices progressus, hoc schediastmate gratulari voluit:

**M** Arcellum duo templa olim virtutis, honoris,  
Constituiffe ferunt, historia veteres.  
Scilicet ut nulli licuit conscendere honoris  
Ædes; virtutis quin prius incoheret.  
Sic quoq; qui studijs quarunt sibi nomina doctis  
Nil nisi virtutis candida templa colunt.  
His meritò Phæbus templum quoq; pandit honoris,  
Et capiti illorum laurea ferta parat.

**B**

*Hinc*



Hinc tibi STRANDENI praesentes grator honores,

Quos studijs meruit candida vita bonis.

I modò, quae restant felix, superare paratus

Tu patriae in laudes vive, valeq; diu!

L. Mq.

MARTINUS MILTOPÆUS EI. P. P.

**Κ**αθάπερ ἄνθρα ἀκολοθεῖ ὁ καρπὸς, ἔτω καὶ ἀρετῇ ἢ  
τιμῇ ὀρθῶς ἔνσὺ τῆς φύσεως μετέχων ἐντυχίας, ἐκ  
ἐν τοῖς τῆς ῥαθυμίας σπηλαιαῖς λατρεῖν, ἀλλὰ τοῖς ἐλευθε-  
ρίου ἐπιτηδεύμασιν ὅλως σε δύναι, καὶ γὰρ ἔτως τῷ βιωτάν-  
την τὴν ὁδὸν πορευθεῖς, ἀρετῇ καὶ βραβεῖον αὐτῆς,  
τιμὰς, γνησίως λαβεῖν προήρᾳ. ἀρετῆς γὰρ ἔστιν κτήμα  
σεμνότερον, ἔδὲ βεβαιότερόν ἐστι. τὸ κάλλος μὲν γὰρ  
ἢ χρόνος ἀναλίσκει, ἢ νόσος μαρῶνει, πλάτος δὲ κακίας  
μᾶλλον ἢ σεμνότητος ὑπερέτης ἐστὶ, ἐπὶ τὰς ἡδύνας καὶ  
τὸν ὄκνον τὰς λατρεύοντας ἀποπαρκαλῶν, κράτος  
δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφελεῖ, ἀνευ δὲ ταύτης πλείω  
τὰς ἔχοντας βλάπτει, ἢ δὲ τῆς ἀρετῆς κτήσις, οἷς ἐν  
ταῖς διανοίαις συνηξήθη, μόνη μὲν συγγεράσκει. πορεύε  
γὰρ τῆς ἀρετῆς σπουδαιοῦτατε, ἢ σε ἐνφύα σε καλεῖ,  
τὴν τῆς ἡμῶν φιλοσοφικῆς δόξαν λαβεῖν, ἧς ἀξιῦται ἀ-  
ρετῇ, ἀξιῦται ἐνφύα, ἀξιῦται σπουδῇ καὶ μάθησις σε ἐμ-  
φανῆς. Ὅ, ἡ δὲ ἐμὸν ἐστὶ, συγχάριω σοὶ νέας τὰς τιμὰς  
ταύτας, ἢ μόνον διὰ σεαυτὸν καὶ πολιτεῖαν τὴν πε-  
σπαιδευμένην, ἀλλὰ καὶ ὅτι καρέλια ἡ πατρίς ἡμῶν ἀν-  
θρα, ἣν παρ' ἕτερος μὲν κοσμεῖσθαι ἡδύ μοι, παρά σε δὲ  
ἡδισον. λοιπὸν γὰρ ἐστὶ μοι προσέυχεσθαι, ὅτι αἱ σπῆδαί  
σε ἄς μακάριος μεχρὶ τῆ νυν μετεχείρισας, τῇ τῷ θεῷ  
ὀνόματι δόξη, ἐκκλησίας καὶ πολιτείας ὀμοδομῇ, καὶ  
γὰρ μὲν ἰδίᾳ ὠφελείᾳ καὶ ἐμπροστίᾳ ἀφθάρτῳ προσήμωσι.  
Χαῖρε καὶ ἔρξωσο.

DANIEL J. Wnger.